



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

ne DEUS in falsum testem adducatur, tamen tunc contractum non confirmat, ne sit vinculum iniquitatis. contra *cap: quanto: 18. h. t.* debet autem turpitudine ista esse de jure naturali vel divino: nam si sit de jure humano, juramentum confirmat contractum, quia supplet vitium. *cap: quamvis de pactis. in 6.* purgatq; vitium nullitatis jure civili inductæ, facitq; ut occasione juramenti eodem loco sit, quo esset, si juseum non reddidisset irritum. ita Panor. quem sequitur *Mol: disp: 148. Sanch: lib: 3. de jure. cap. 12. n. 11.*

5. Sed reverà stando in jure, videtur omninò probabilius contractus civili jure nullos non confirmari juramento, eo modo, quo hæc sententia explicat: & probò. quia nullum habemus certum hujusce rei ex jure fundamentum. Nam jus Canonicum nec potuit, nec voluit contractus reddere validos: prior pars ostenditur, quia civiles laicorum, contractus non subsunt dispositioni juris Canonici, nisi quatenus hoc requirit salus animarum, ut suppono ex *lib: 1. decret. tit. de constit.* & video passim placere recentioribus

Theologis, qui in temporalia laicorum, potestatem directam Ecclesiæ negant, & indirectam tantum concedunt, eamque quæ necessaria est, ad dirigendas animas ad salutem æternam: atqui ad bonum regimen animarum non est necesse, ut iuramentum confirmet contractum: sufficit enim, ad salutem, ut iuramentum ipsi servetur, & hoc quod iuramento promissum est, præstetur: ergo non est cur dicamus, leges inducentes inhabilitates in contractibus, authoritate potestatis Ecclesiasticæ tolli posse, & propter solum iuramentum reddi habiles eos, qui à legitima potestate seculari, redditi sunt inhabiles. *Quod si agatur de legibus, quæ tantum irritant quo ad actionem parietam in foro civili, & relinquunt contractus validos in foro conscientiæ, putamus posse Ecclesiam statuere, ut iuramento adhibito tales contractus validi sint, quia potest expedire ad salutem animarum, & promovendam pietatem, ut iudex sæcularis cogat eos, qui obligantur naturaliter ad servanda pacta vel promissa, quando jurarunt ea præstare, & ad hoc concedere actionem & similia re-*

lia remedia, ad obtinendum quod debetur, & ut cum lege civili non statuatur talis coactio, Ecclesiasticâ statuatur, debeatq; Judex secularis, cum res sit, quæ ad salutem & pietatem animarum pertineat, Ecclesiasticæ potestati hac in parte obtinere. Verum ut hoc argumentum probaret, oporteret hic examinare prius, an contractus jure civili pariant obligationem naturalem, sed quia id non est hujus loci: sufficiat nobis probare, de facto id non esse statutum jure, quia jura quæ citantur non amplius in rigore probant quàm juramentum ob **DEI** reverentiam servandum esse, nam in *cap: cum conting: de jurejur:* tantum statuitur juramentum esse servandum, etiamsi legitimæ Sanctiones, id est, leges civiles tales contractus improbant. Ergo ex illo textu nihil habetur solidi. Neque obstat Auth: *Sacramenta puberum C. si adversus veditorem.* quia ibi Imperator tantum statuit. *Sacramenta puberum spontè facta super contractibus rerum suarum non revocandis immobiliter custodienda esse; non autem dicit contractus confirmari.* Minus officit *cap: quamvis de pactis in 6.* quia verba

illa si pactum juramento firmatum fuerit, sonat tantundem ac si dicas, si pactum juratum fuerit, aliquid enim firmamento firmare, idem est, quod jurare sive assertorie sive promissorie. Pontius lib: 12. de matr. cap. 8. §. 7. *Hac autem spectato juris rigore.*

6. Cæterum spectata consuetudine probabilius censemus, contractus aliquos jure civili invalidos juramento confirmari, & non solum juramentum esse validum & servandum, sed etiam aliquam obligationem distinctam ab obligatione juramenti in contrahente oriri: hæc sententia placet, tum quia communis DD. ut supra diximus n. 4. tum quia praxi penè Orbis munitur: non judico autem in materia practica à communi usu & interpretatione legum esse recedendum, praxim communem testantur Mynsing: cent. 3. observ: 10. Gail: lib. 2. obser: 38. & alij passim: & quidquid sit de rationibus à nobis allatis videtur respublica Christiana admisisse istam Authenticam, & Pontificias constitutiones eo modo, ut occasione juramenti aliqua maior vis tribuatur contractibus jure tantum positivo nullis quam jure naturalibus.